FR. ANTONII FRANCISCI

ORIOLI

ORDINIS MINORUM CONVENTUALIUM

NUPER CREATI

EPISCOPI URBEVETANI

LITTERAE PASTORALES

AD

CLERUM ET POPULUM



ROMAE
TYPIS JOSEPHI SALVIUCCI
1833.

ANTONIUS FRANCISCUS

EX ORD. FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS URBEVETANUS

VENERABILIBUS FRATRIBUS

ET CHARISSIMIS IN CHRISTO FILIIS DIGNITATIBUS ET CANONICIS
PAROCHIS CLERO ET POPULO UNIVERSO CIVITATIS
ET DIOECESIS SUAE SALUTEM
PACEM ET GAUDIUM IN SPIRITU SANCTO.

Qui me a summo Pontificiae Majestatis solio despiciens humilem perenni beneficiorum copia benignus ornavit; qui me elapso anno per Apostolicas Litteras universo Minorum Conventualium Ordini, cui a prima juventute nomen libens ac volens jucundissime dederam, Apostolica item vicaria potestate praefecerat, idem nuper Sanctissimus Pontifex et Princeps indulgentissimus me nihil tale nec cogitantem nec merentem amplissimae Ecclesiae vestrae Urbevetanae dedit Episcopum, Patremque voluit esse, et Pastorem animarum vestrarum. Matutinis precibus, ut mos est, quietus adfueram, atque in meditatione Christi patientis, ut jeju-

nii quadragesimalis tempus ferebat, igniculus fortassis exardescebat, quando mihi ad sacrum faciendum properanti viam interclusit nuncius, qui, quid de me Beatissimus GREGORIUS XVI consilii coepisset, inopinato enarravit. Obstupescenti penitus, animoque incerto, atque varias in affectiones distracto obversata sunt plurima, vehementer quidem; sed quo ordine, qua ratione qui dicerem? Primo sane clementia illa pene singularis, similisque divinae, quae de pulvere suscitabat egenum, ut sederet cum Principibus, et solium Episcopalis gloriae teneret. Sed et ipsa dignitas Episcopatus, cujus desiderio locum esse posse tradit quidem Apostolus, sustinendae vero et citra piaculum in Ecclesia Dei cum animarum fructu exercendae ut quis par esse possit, tot, tamque sublimia Paulus longa enumeratione complexus est, ut vel ipsos doctrina et sanctitate praeclaros viros, non hominem modo imbecillum, infirmum, et adhuc dormientem deterreat. Obversabatur autem et Ecclesiae amplitudo vestrae, cujus clavum deducta continenter serie ab antiquis usque temporibus tenuerunt Viri omni virtutum genere praestantissimi, Vaticana purpura saepissime donati, quos

inter commemorare honoris causa mihi juvet decessorem meum Antonium Dominicum Gamberinium Patrem Eminentissimum de Episcopali Urbevetana Ecclesia, ac de Vobis omnibus optime meritum, acerrimi ingenii virum, omnigena quidem eruditione, sed juris utriusque praesertim ad miraculum peritissimum, quem non ita pridem Sapientissimus Pontifex accersitum in Urbem negociis per Ditionem Ecclesiasticam interioribus praeposuit, et suum a secretis hac de re constituit Administrum. Quibus omnibus quum ipse nullo modo sim nec virtute, nec doctrina, nec rerum usu, nec demum pietate comparandus, summopere veritus sum, ne conspicuae Ecclesiae Urbevetanae splendor, et gloria haereditario quodam jure in dies amplificata mei culpa quid detrimenti caperet. Quoniam vero et ab iis, quibus a teneris assueti sumus, aegerrime distrahimur, et dimovemur, animoque haerent firmissime; vetustae honestorum hominum consuetudines, diuturna, eaque jucundissima claustralis hominis vivendi ratio, perennis per tot annos in splendidissima Urbe hac commoratio, studiorum meorum indoles, frequens amicorum doctissimorum concursus, domus, parie-

tes, viae, urbs denique universa, animo vehementissime suberant, hac illacque fluctuantem trahebant. In tanta rerum mearum perturbatione admirabile Illius, cui et venti et mare obediunt, nomen invocavi, rogavique in humilitate cordis, ut nutantem firmaret, turbatum sedaret, et audienti servulo, quid vellet ab eo fieri, miserator ostenderet. Atque ut voti fierem compos, Deique voluntatem tutus agnoscerem, ad firmissimam Catholicae Ecclesiae Petram convolavi, et ad Beatissimi Pontificis pedes provolutus, omnia pandens humillime tum quae mihi jucunda, tum quae injucunda erant et aspera, me totum sapientiae ejus, summaeque bonitati commisi. Comitate illa pene incredibili, quam mirati suspiciunt omnes, excipiens, expedire dixit, ut ego unus ille essem, qui mihi ipsi, desideriis et affectionibus meis pro Urbevetano populo morerer. Sedari illico coepta est in me animi cordisque commotio, meaeque infirmitatis aliquantum oblitus, id unum mente volvebam, ut mihi, rebusque meis spiritaliter mortuus, omnem operam, studium, industriam, laborem conferrem ad commune omnium vestrum in via pacis et veritatis bonum procurandum, Eccle-

siamqne mihi commissam sancte pro viribus administrandam. Nonne enim potens Deus de lapidibus suscitare filios Abrahae vocat ea quae non sunt, ut ea quae sunt destruat? Nonne contemptibilia et ignobilia mundi eligit, ut fortia confundat? Nonne ubi abundavit iniquitas, superabundare facit gratiam? Qui dixit: sine me nihil potestis facere, dixit etiam: petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Ipse Pater misericordiarum et Deus totius consolationis facit ut velimus, facit ut faciamus, operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate. Quae quidem omnia in memoriam ideo revoco vestram, ut participes sitis ejusdem spei, in qua firmiore me faciunt esse.

Quod si quis miraretur, ea me hucusque attigisse, quae domestica prorsus videntur, leviorisque momenti, nec plane digna, quae fusiori calamo ob oculos omnium ponantur, advertat, me jam vobis Patrem esse, Vosque mihi filios in Domino charissimos, meque jam ea erga Vos Christi charitate urgeri, quae facit, ut omnia mea vestra esse putem, vosque de iis, quae mihi jucunda in Christo fuerunt, pariter in Domino delectari.

Neque parum solatii attulit infirmitati meae, quod Kalendis Maji munus Episcopalis consecrationis acceperim, qui mensis Deiparae Virgini Mariae sacer est, in qua omnis spes vitae et virtutis. Accedit et locus et dies; in ipsa enim Basilica in honorem Apostolorum Sanctorum Deo dicata Philippi et Jacobi minoris ossa coluntur, et dies eorum memoriae sacra festiva recurrit exultatione. Det Virgo Deipara, dent inclyti Apostoli, quorum patrocinio suffultus magnam vitae partem exegi, novam mihi et periculi plenam in Episcopali onere ferendo viam auspicari.

Multa quidem eaque jucundissima audio de Vobis in fide et charitate tranquillam vitam degentibus, multa de obsequenti, devotoque in Pontificem Maximum et Apostolicam Sedem animo vestro; qua de re etiam novissime, dum per Ecclesiasticam ditionem impiorum hominum culpa seditio cresceret, magnusque excitaretur tumultus, gloriam a majoribus vestris acquisitam novo laudum genere cumulastis. Advigilandum tamen est Vobis, et magnopere cavendum, ne sensim obrepat inter vos eorum sermo, qui velut cancer serpit, et in agro Ecclesiae superseminat ziza-

nia. Eo enim ob temporum injuriam misere devenimus, ut exurgant ubique viri loquentes perversa, qui, ut Apostolus Judas praedixit, quaecumque ignorant, blasphemant: quaecumque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Vigilate, dilectissimi, state in fide, quae salutis fundamentum est. Omnia vestra in charitate fiant.

Advigilandum praecipue Vobis est omnibus, qui in sortem Domini vocati estis, et per diversos Hierarchiae Ecclesiasticae gradus Deo servientes, adjutores mei estis in Domino. Quos inter sicut emicat splendidissimus Canonicorum Ecclesiae Cathedralis Ordo, ita primas sibi sollicitudinis et dilectionis meae jure ac merito vindicat partes. In omnibus ergo, fratres charissimi, veluti e sublimiori Ecclesiae nostrae specula praebete vos exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, atque in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. In id enim ex Tridentinorum Patrum sententia instituti fuistis, ut pietate praecellatis, aliisque exemplo sitis, atque Episcopum opera et officio juvetis ad

conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam.

Quoniam vero sacerdotalis ministerii solicitudo in id maxime incumbere debet, ut oves Christi salutaris doctrinae pabulo nutriantur, sancte regantur, atque a lupis rapacibus impavide defendantur; ideo Vos, qui in animarum cura pastores, adjutores mei estis et cooperatores, moneo et exhortor in Domino Jesu Christo, ut in grege custodiendo vigiles, nec umquam labori et industriae parcentes, curam habeatis de ovibus. Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam. Ita caute et sancte ambuletis, ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

Sacerdotes et reliquorum ordinum Clerici, quotquot per Urbem et Dioecesim nostram Deo vacatis, attendite vobis e doctrinae. Unicuique vestrum in singulis gradibus secundum mensuram dictum est a Domino: Vos estis lux mundi: Vos estis sal terrae. Quod si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Luceat vero

lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.

Quomodo autem silentio praeteream Vos, inclyti Regularium Ordinum Professores, cum ipse ab adolescentia mea in Seraphici Francisci palestra suavissimum disciplinae regularis jugum portaverim? Mementote, Filii charissimi, mementote Patrum vestrorum, qui in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, et in diebus suis habiti sunt in laudibus. Satagite, ut eorum pietates non desint, sed cum semine eorum permaneant bona, haereditas sancta sint nepotes eorum, et filii eorum propter illos usque in aeternum maneant. Magna quidem promisistis, sed majora vobis in coelo promissa sunt. Quapropter mente integra, fide firma, virtute robusta, charitate perfecta parati ad omnem voluntatem Dei estote, conservantes fortiter Dominica mandata et Evangelicae perfectionis consilia, ne aliquid ad exemplum bonorum factorum desit in Vobis.

Virgines Deo sacrae, flos Ecclesiastici germinis, Religionis decus et ornamentum, quae carnis illecebras, mundi pompas et saecularem

fastum generoso pede proculcastis, et ad nuptias convolastis immaculati Sponsi Christi, satagite, ut illi soli usque ad finem placeatis. Sponsae Christi estis; videte, ne quid indignum Ei, cui desponsatae estis, admittatis. Veluti gementes columbae, instate orationi, obsecrationi et gratiarum actioni. Numquam desit in lampadibus vestris oleum sanctae charitatis, ut accipiatis coronam, quam Dominus Vobis praeparavit in aeternum

Paterna Vos pariter charitate complector, Optimates, Proceres et Cives, qui generis nobilitate, rerum gerendarum scientia, studiorum cultu, patria charitate et virtutum laude floretis, quorum ad exemplum se tota plebs componere solet: Honori vobis ducatis et laudi in omnibus Christiani hominis officiis ceteros exemplo praeire, et pietatem, quae ad omnia utilis est, in Crucis humilitate sectari. Confitemini in terris verbo et operibus Christum Regem regum et Dominum dominantium, qui confitebitur Vos in coelis coram Angelis et Sanctis apud Patrem.

Omnes denique Vos Urbis et Dioecesis incolas, filios meos in Domino charissimos, qui in Christo estis gens sancta et populus acqui-

sitionis, oro, obtestorque, ut pro sua quisque conditione, et statu praecepta Domini impleatis. Patres, educate filios vestros in disciplina et correptione Domini: Filii, obtemperate parentibus, ut bene sit vobis: Servi, obedite dominis, sicut Christo: Domini, remittite minas, scientes, quod personarum acceptio non est apud Deum: Senes sint sani in fide, in dilectione, in patientia: Juvenes sobrii atqne pudici: Mulieres prudentiam doceant adolescentulas, sint castae et sobriae, domus curam habeant, diligant viros filiosque suos. Omnes autem estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit nobis.

Interea licet absens corpore, spiritu tamen praesens, Vobisque animo et corde conjunctus accedamus cum fiducia ad thronum gratiae, et precemur a Patre luminum, ut Sanctissimum Dominum nostrum Patrem et Principem GREGORIUM XVI bono universae rei Christianorum publicae divinitus datum diutissime servet incolumem, sospitet, atque vivificet. Oremus etiam pro viro Eminentissimo Placido Zurla, cujus summa laus est per omnem Ecclesiam, a quo munus Episcopalis Consecratio-

nis accepi. Innotescant denique petitiones nostrae apud Deum pro universa Ecclesia Catholica, quacum simus semper fide, quae per charitatem operatur, arcte conjuncti, ut cognoscat mundus, quod Christi discipuli sumus, quia diligimus fratres.

Commendo Vos Deiparae Virgini in coelum assumptae, in cujus honorem dicatum est Deo Cathedrale Templum, avitae Urbevetanorum pietatis et munificentiae splendidissimum monumentum. Ipsa, per quam omnia nos habere voluit Deus, sit praesidium nostrum, sit spes, sit gaudium, sit salus nostra. Commendo etiam Coelitibus sanctis Urbis atque Dioeceseos Patronis, Angelisque Tutelaribus, ut pro Vobis et pro me humili Episcopo vestro orent assidue apud Deum.

AEre perennior autem sit fiducia nostra in sanguinem Agni immaculati Christi, qui emundat nos ab omni peccato, cujus pretiosissimam singulari Dei beneficio per miraculum tesseram habemus in sacro linteo, quod ad perennem Urbis nostrae incolumitatem, omniumque praesidium in eadem Cathedrali AEde servatur.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus Vobis. Amen.

Romae extra Portam Flaminiam Kalendis Maji, quae dies est ipsa Consecrationis meae, Anno a Christo nato MDCCCXXXIII.

IMPRIMATUR

Fr. Angelus V. Modena O. P. S. Th. M.
Rmi P. S. P. A. Mag. Socius.

IMPRIMATUR

J. Della Porta Patriarcha Const.
Vicesg.